DE ATRAPHAXI▸ CAP▸ XLI▸

NOMINA.

Atraphaxis quare dicta.

ΑΤΡΑΦΑΞΙΣ, ἢ χρυσολάχανον Græcis, Atriplex Latinis & Officinis, Germanis Molten oder Milten nominat. Atraphaxis Atticis d literam in t mutare frequẽter amantibus, dicta est, quòd ἄδρως αὔξει, id est, statim in amplitudinẽ adolescat. Siquidem octauo à satu die prosilit, confestimq; incremento proficere uidetur. Fidem celeris augmẽti facit ereptum in confinio cęteris herbis alimentum. Ac ne in hortis quidem iuxta eam nasci quicquam tradũt, nisi languidum. Chrysolachanon uerò, id est, aureum olus dixerunt, à luteo quem profert flore.

Chrysolachanon.

GENERA.

Duo Atriplicis sunt genera, satiua seu hortensis, & sylvestris. Satiuam simpliciter Germani Molten/ sylvestrem uerò cum adiectione aliqua, Wild molten/oder Ackermolten/oder klein scheißmilten nominant.

FORMA.

Atriplex hortensis.

Hortensis caulem fundit quadratum, ramis brachiatum, quibus primum flores lutei exigui, dein foliatum semen & obductum cortice promitur. Radicem unam habet in altum descendentem, non glabram, sed fibris quibusdam capillatã. Sylvestris tam luxuriosa proceritate prodit, ut quaternos sæpe cubitos excedat: caule ut hortensis anguloso, ramoso, & purpurascente: folio hortensi non admodum dissimili, potissimum quod ad colorem attinet: flore luteo exiguo, semine race matim congesto, radice simplici in altum descendente, ex qua se multæ promunt.

Sylvestris.

LOCVS.

Hortensis non nisi sata prouenit. Sylvestris sua sponte nascitur. Vtraque autem
D assiduo humore satiari amat.

TEMPVS.

Vtraque Iunio & Iulio mensibus floret, deinde semen proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Atriplex humida in secundo ordine, frigida autem in primo. Hortensis tamen sylvestri humidior frigidiorq; existit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Estur olerum modo elixum. Aluum mollit. Crudum uel coctum illitum panos discutit. Semen eius potum cum aqua mulsa morbum regium sanat.

EX GALENO.

Atriplex celeriter, ob lubricitatẽ, uentrem permeat. Parum autem omnino eius est, quod digerendi obtinet facultatem. Phlegmonis & phygethlis quidẽ incipientibus, crescentibus, & mollibus adhuc, ac ueluti feruentibus, hortensis: uigentibus uero, declinantibus, & indurescentibus cõmodior est sylvestris. Semen eius abstergentis est facultatis, proinde ad morbum regium ex iecoris obstructione prognatum utilis est.

EX PLINIO.

Coquit difficillimè. Addidere Dionysius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos, nec nisi mutata sæpius aqua coquendum: stomacho cõtrarium esse, lentigines & papulas gignere. Hippocrates uuluarũ uitijs id infundi cum Beta. Lycus Neapolitanus cõtra cantharidas bibendũ dedit. Panos, furunculos incipientes, duritias omnes, uel cocto uel crudo illini utiliter putant. Item ignem sacrum, cum melle, aceto, nitroq;. Similiter podagris. Vngues scabros detrahere dicitur sine ulcere. Sunt qui morbo regio dent semen eius cum melle, arterias & tonsillas nitro addito perfricent, aluum moueant, cocto aut per se, aut cum malua, aut lenticula concitantes uomitiones. Sylvestri capillos tingunt, & ad supradicta utuntur medicina.

EX SYMEO-

ATRACTYLIS
MITIOR